JARMUNDOWICZ

Panegyricus AUGUSTO III

PANEGYRICUS
SERENISSIMIS
Ac
POTENTISSIMIS
AUGUSTO III.
NECNON
MARIÆ JOSEPHÆ
REGIBUS POLONIARUM,
Magnis Ducibus Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolesciæ, Sever: Czerniechoviæq;
HÆREDITARIIS DUCIBUS SAXONIÆ,
S.R.I ELECTORIBUS. &c. &c.

Ipso Solenni Inaugurationis Regalis Die
Ex voto Almæ Universitatis Cracoviensis
A
M. CASIMIRO JARMUNDOWICZ,
Philosophiæ DOCTORE & PROFESSORE, Collega Minore, Ecclesiæ Collegiatæ Sanctorum Omnium CANONICO.

OBLATUS.

Anno Domini MDCCXXXIV. Die 17. Ianuarij

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.



--- DOMINOS gavisa coronat
Terra suos - - - - - - - *Claudianus.*

SERENISSIMI
&
POTENTISSIMI
REGES,

Domini Clemētiſsimi.

FAcimus Academici, quod ingenita Palladi noſtræ erga Regnatores Polonos jubet propenſio,

 dum

dum coram Vobis lunatos ſin-
guli ſinuamur in arcus. Bene
novimus quis debetur Regibus
cultus, quæ Majeſtatibus reve-
rentia, quiſve dandus Faſcibus
honos non ignoramꝰ. Didicimꝰ
hanc ab apibꝰ in ſuas matres, ab a-
vibꝰ in aquilas, à feris in leones, Re-
gū noſtrorū obſervātiā, nūquam
aliàs humani futuri, ni proclives in
obſequia. Hinc ne tardioris argu-
amur moræ, pennis in VESTRA vo-
lamus homagia: teſtamur Scripto
fidelitatem noſtram, Typogra-
phicis columnis conſtantiam, ſer-
monis nuditate amorem, verbis,
mentium revelamꝰ arcana, quòd
Vos diuturnos in terris eſſe volu-
mus, ideſt tot annorum REGES
quot ſubditorum.

PANEGYRICUS.

MAgnitudinem lætitiæ; quam ante TE velut Sol oriturus lucem præmiſiſti REX SERENISSIME, & quâ cunctorum Civium animos, quâ Urbes, quâ Aras univerſumque Regnum Tuum ingenti cum voluptate replêſti; omnibus quidem mirari, ſpeculari plurimis, effari verò & edicere præter Divinô afflatos entheô conceſſum nemini. Labor hic ipſis etiam Atlantibus gravis, fæcundiſſima quantumvis fatigat & vincit ingenia; ut de materia & tholo argumenti cogitantia imbecilitatem ſuam primo ſermonis in limine profiteri cogantur. Nemo eſt, qui in tam ſublimi dicendi genere inopiâ aurei eloquij, nemo qui penuriâ verborum non laboret. Ad enarranda amæniſſima Regni noſtri Hilaria ſilentiô potiùs, quàm

ſvadâ vocali utendum, unde ille duntaxat pro roſtris tantæ lætitiæ diſertiſſimè certat, qui mutus perorat hærēte digito ad labellum. Sudatum eſt à pleriſque, & longo laboratum conamine pro ampliſſimo verborum ambitu, reviſa Regnorum gymnaſia, collecta Iſocratis mellea, florida Hortenſij idiomata, confuſus Eurippo Caſtalius, congeſti Oratorum numeri, gemmis flores, floribus favi dictionum, & quidquid erudita Hybla, aut Cecrops literatus redolet in unum commixſti; ut hac quæſiti apparatûs congerie, menſuram in immenſum creſcentis lætitiæ adæquent, quæ tamen omnia, cùm in comparationem venerint; umbra ſunt & ferè magnificum nihil. Ipſa felicitatis noſtræ admiratio attonitos in tantum reddit mortalium animos; ut ſuæ facundiæ obliti, & pænè extra ſe rapti præ mentis exhilaratæ exceſſu ore propalare non poſſint, quod oculis capiunt & vaſtiſſimo in pectore ſervant. Nequeunt re vera per oris humani anguſtias in publicum proſilire gaudia, quæ pectorum penetralia & internas cordium rimas ea replêrunt vaſtitate; de

qua

quá plus ſemper cogitari, quam dici; plus intelligi quám explicari poſſe in comperto habetur. Procul hinc fluidiſſimi Cyneæ! procul trophæis coronati Leontini Gorgiæ! materia hæc ingentium Regni noſtri gaudiorum ſicut ex ſe ineffabilis eſt, ita felicis excedit miracula lingvæ. Quantum TE REGUM maxime Polon9 Septemtrio Civeſque gaudent liberi; verba quidem ad explicandum non ſuppetunt, non ita tamen ignotum coram Te eſt; ut id ex oculis, ex vultu & fronte lætantium populorum conijcere non poſſis. Nemo auguſtæ Majeſtatis Tuæ radijs accenſus toto non ardet pectore, nemo rapto in gaudia non exultat ſpiritu, nemo facie non prodit; quam ex Te in animo concepit voluptatem. Oſtentatrix ſui ipſius ſicut ſemper ſvevit eſſe lætia, ita latere in abſcondito non amat, ex arcanis cordium erumpit in publicum, & urentem flammam imitata modium excutit quo tegebatur. Ad fabulas & vera Pôëtarum figmenta ſimulacra Memnonum damnamus, cùm veriùs ad primum Tuum in Throno Poloniæ exortum SOL Sereniſſime!

 me!

me! in singulorum pectoribus ingentis lætitiæ melos tenerrimo amoris artificio aptatum toti sonat audibile mundo. Quamvis nulli de ea scribantur characteres, nullæ loquantur paginæ, nullæ testentur panegyres, jam tunc ex ipsis subditorum civium animis & ore ridenti sine indice & interprete legi poterit, quæ, quantave sit? quotve gradibus distet ab immenso? Non fingimus REX *Potentissime* tanta est, tamque ingens, ut ei capiendæ abyssi cordium non sufficiant; tam latè sua vastitate patet, quam latè amplissima mens hominum & altissima de Te dicendi cogitatio protenditur. Nimirum bono Principe; qualem Te nobis Patriæq; nostræ benigni providerunt Superi, qualem aurea in decus Regnorum formavere sæcula; tali inquam Principe gaudere nunquam satis, nunquam lætari sufficit. Unius oblectamenti exitus gradus est alterius, & ubi finiri voluptas mentium putatur, ibi nova lætandi initia pandit, nunquam ultimâ periodo terminanda. Animorum ista serenitas nunquam vesperum patitur, sed semper in luce posita, eò intensiùs

ſiùs agit, quò feſtinatiùs ad meridiem & augem perfectionis ſuæ continuatis gradibus aſcendit. Nequaquam ſterilis eſt noſtrorum gaudiorum ſeges,quæ memori menti velut glebæ fæcundiori inſerta fructu ſemper uberiore redit, eôque proventu germinat; ut ſemel meſſa iterum meti, iterumque colligi poſcat. Tu tantorum gaudiorum & publicæ Regni noſtri felicitatis Author es, aureique ſæculi; quod ſub Te commendabile nitet verus Inventor REX *Sereniſsime* clementiâ Trajano mitior, triumphorum gloriâ Cæſare clarior, magnitudine animi Hercule & Macedone excelſior, virtute nemini par, quia omnibûs major. Majeſtatis Tuæ Regalis ſerenitate, æquè ac admiranda operum Tuorum luce extingvis triumphales Romanorum ignes, caliginoſas infortuniorum diſcutis noctes, Polum Sarmaticum illuſtras, novamque futuræ felicitatis in ſubditorum cordibus ſpem accendis, ſæculi præſentis decor oculorum illicium, mentium oblectatio, populi amor & maximæ deliciæ. Hinc eſt: quòd nemo ſit; qui ſibi mille corda, oraq; to-

tidem non optet; ut his pro Te optimo Principe indesinētes Dijs immortalibus grates fundere, illis Te unum amare queat, qui cunctorũ amor es & prima cogitatio. Successisti post Nervam Trajanus, post optimum Regem optimus ipse Rex, dignus Plinium habere laudatorem, si in eum, non in nos incidisses, quibus ingens lætitia verba sustulit & inopes eloquij fecit. Permittes saltem Regum clementissime! ore hoc, quod magnitudo Majestatis Tuæ conclusit, vestigia Pedum Tuorum deosculari, permittes Te in Olympum Throni Regalis euntem à longè sequi humilem facundiam meam, quæ tandem savoribus Tuis sublimáta, adjuta gratijs quidquid in Te Majestatis, Virtutis, fortitudinis & maximorum decorũ deprênderit, in scripto referet: si tamen exili codicillo scribi omnia & claudi poterunt, quæ annales Regnorum, quæ sæculorum Historiam, quæ sapientum volumina implevere.

In electivis Rerumpublicarum formis; in quibus non successione generis, sed immutabili DEI Omnipotentis beneplacito

Regibus

Regibus Reges, Principes Principibus in Thronum & Imperium ſuccedunt, hoc unicum curioſos meditantium de futuro Principe animos torquet maximè, quòd ignorent, quis ille ſit deſtinatus ab alto? Tortura hæc ſollicitarum mentium artritidis inſtar per venas ſimul cum ſangvine diffuſa ſpiritum ipſum afficit & ferè tabeſcere facit, quòd in ſupernis genitus, quæ ſunt in arcanis Superûm revelatum non habeat. Scientia hæc in abyſſo increatæ Sapientiæ recondita, nulla demonſtratione deduci, nullo argumento firmari, nullo poteſt doceri Magiſtro, tangente hac culpa hominum ſapientiſſimos; quibus inter rerum ignorantias id primum eſt, ad quod non reſpondent. Librum, in quo deſcripta hærent nomina Regum, ſigillis ſeptem concluſum quis eſt, qui aperiat? & referat, quem Ponto? quem Aſiæ? quem Dij deſtinavêre; qui fulvis imperet Afris? Fruſtra Sphynges aut Oedipi ad objecta quæruntur ænigmata, ut ſolvant, quem ſerus veſper, quem futurum cras feret Principem Druſumne? an Cæſarem? Commodum an

Severum? Nodus iſte plùsquàm Gordius ſupra áciem ingeniorum & Macedonas ſudorem divinantibus elicit, tantumque fatigat, ut quò intendant magìs, magìs hebeſcant vani augures futurorum. Pleroſque tamen anxius urit animus & cæca cupido; ut quæ retró ſunt procul á captu hominum poſita, Argô oculatiùs perſpiciant; ſed quia lippientibus palpebris illuc attingere legibûs naturæ non ſit permiſſum, ad Sibillarum folia, ad Babylonum numeros, ad augurum & haruſpicum reſponſa converſi, aliena præſagia vendicant, ac ut vatidicus ediſſerat Tireſias poſcunt. At quis natus ad hæc oracula Tripos? quis ad hanc prophetiam Calchas aut Laocoon? quotquot ex extis, Sibillarum cortinis, aut avium cantu ſumuntur argumenta, ſomnijs ſimillima ſunt, tantumq́; á veritate diſtant, quantùm matutina â meridie umbra. Abſit jam circinis inarare Cælos; ut effodiantur præſagia, conſulere Planetas; ut narrent futura, abſit oculis olympo intentis; á mutis ſtellarum ſciſcitari lingvis, ut informent, quid de progreſſibus Regni noſtri Dij inter ſe concluſerint. Con-

clu-

clusum consultumq; est de nobis optimè, cùm Te amplissimo huic & sua libertate florentissimo Lechiæ Regno ante sæcula prævisum unicum Principem ceu unum Titana Cælo; qui tot populis, quot ille sideribus ingenti præesses majestate præfecerunt. Solverunt per Te curis & anxia sollicitudine mortalium animos, omnemq; mæroris nubem ex frontibus detersere, cùm Te intensissimis votis exoptatum REGEM in auge Throni Sarmatici ortu apparere fecerunt serenissimô. Mereris Phæbe noster Persarum ritu prostratis in terram adorari vultibus, quód in sphæram Regalis Majestatis Tuæ ascendens, felicium tranquillitatem temporum, pacem, & gaudia mille commisso Tibi invexisti Regno. Auspicata omina non inquirimus, quia hæc voluptate cum ingenti in Te tenemus numquam feliciores, quàm quos coronatus adventus Tuus exoptata faustitate beavit. Salve igitur REX *Fortunatissime!* in quo præter maximarum quia Regalium Virtutum compendiata decora, incrementa felicitatis nostræ non expectamus, sed

 specta-

ſpectamus. Salve Princeps tam in pace quàm bello fortiſſime! qualem indigentia ſæculi noſtri, qualem ſervanda Civium ſalus, & Patriæ fortuna popoſcit. Salve Monarcharum Idea, Orbis Chriſtiani columen, generis humani delicium, præſidium Fidei, literarum amor, & Polonæ tutela Libertatis. Si illa eſt theſaurus Regni, Tu tanti theſauri pretium: ſi illa Orbis Sarmatici ſidus, Tu hujus ſideris lux clariſſima; ſi illa eſt flos, Tu floris prædicti decor; ſi illa eſt ſpecioſa arbor, Tu arboris radix, ſi illa Nobilitatis cor, Tu tanti cordis primum movens es & vitalis ſpiritus. Habet cur ex Te ingentibus exultet plauſibus, cur Te ſibi Regnatorem gratuletur Polonia; cui, ne extra Regnum quæreret Commodos, domi Te talem re & nomine exhibes, in omnibus & ad omnia profuturus. Speculi nobis cryſtallini inſtar es Magne Princeps, in quo quiſque ſua commoda ſpectat, & innumeras utilitatum figuras; ac pro ſuo ſinguli palato agnoſcunt Te alius juſtum, liberalem alius, clementem hic, affabilem ille, nemo vindicem &

pronum

pronum ad fulmina Jovem. Pulcherrimum hoc DEI & Naturæ opus ſicut ſub ſole rarum eſt; ut collecta teneat, quæ ſingulos beare ſolent munera, ita hinc maximam voluptatis dedit materiam, quòd in uno ſubjecto tot Cælorum gratias, in uno Rege Theodoſios, Alphonſos, Nervas, felicis Numina ſæcli videmus & veneramur. Satiavit cunctorum deſideria ad famam tantarum qualitatum erecta: ſatisfecit ardentiſſimis votis exſuperans ea majori, quâm unquam optare potuiſſemus ſucceſſu: ſedavit præſtolantium animorum inquietudinem, dum archetypo optáti Regis conformis & ſimillimus venerit, ſic oculos, ſic atq; manus ſic ora ferendo. Dij immortales! quibus ſpeciales ſunt Regni noſtri curæ; qui Nomini Polono ut formidabile partibus adverſis foret, miram vim majeſtatis indidiſtis, vobis laudes grateſq; ferimus pro Principe noſtro, cujus nomen triumphis celeberrimum, magnitudine grande, nativa luce Sereniſſimũ, Majeſtate venerabile & amplum ſyllabum felicitatis noſtræ non cumulavit tantùm ſed de novo conſtruxit & fecit.

Siſtat ſe huc lynx oculus, ut ſpeculetur, ſi tamen ſine admirationis nota ſpeculari poterit, quot nobis Etymon Tuum, REX bona, quot ſignificet gratias? ego ad altitudinē Domus Tuæ præcelſæ illiuſq; ſplendores converſione facta, ex eorum magnitudine metiar, quàm ſis ipſa ab origine magnus. Hæc eſt Cælo proxima Domus, & propaginibûs alîjs ſtirps una felicior, cui excolendæ â prima ſui radice Numen inſudavit impenſiùs, adhæſit diligentiùs, favit gratioſiùs; ut vertice ſuo ſublimata Libani cedros excederet, teneretq; ſummos inter Faſces imperium. Prænobilis Sangvis Tuus, jam tum, cùm è ſuis fontibus erumpere cæpit, fluvius navigabilis erat, qui ſenſim fæcundantibus omnia undis per Imperia & oras diffuſus crevit in mare purpuratum. Mare illud; quod potentiſſimi, terrarum Præſides Heſperio Venetorum more connubiali ſibi deſponſaverunt annulô: quod Europæi Xerxes jactis amoris torquibus in perenne ſecum obligârunt fœdus. Mare; quod favorabiles cælorum Planetæ pretioſo imbuerunt rore; ut omni tem-

porum

porum intercapedine gemmas Virorum pareret Imperantium capitum diademata ornaturas. Si Regnorum felicitatem, pulcherrimam Nympham dicimus, Dejopeia hæc cunas ſuas rubro huic æquori debet; cujus alveus terrarum amplitudo; ripæ, Regnorum fines; profunditas, immenſa gloriæ natalium abyſſus: color, purpura & oſtrum: Dij, proles germana Jovis Sceptro potiens pro tridente. Gens WITIKINDEA maximorum Principum & Imperatorum imò Divorum Conſangvinea per clavas, thronos Regnantium curuleſque repſit, Togâ & ſagô, honoribus & Triumphis, caſſide & Tiaris celeberrima, Quemcunq; de Tribu hac antiquiſſima requires, non erit alius; niſi vel Cæſar imperans, vel Priamus dignus imperio. Hæc ſeges alma Virûm quàm abundè natalem WITIKINDORVM fundum fæcundavit, quis non videt? qui quòd etiam hoc ſæculô uberrimus Virorum ſit, quòd miro Patritiæ gloriæ & indeſinenti titulorum proventu turgeat germinetve, redeunt in ſemina cauſæ. Priorum Tribûs WITIKINDEÆ fama,

 Mater

Mater est Posterorum gloriæ, ex cujus scintillantibus radijs inferre fas est, quàm sit illustris genitrix, quâm bella; quæ tantam lucem peperit Parens. Exeste hinc mutuata lumina, adventitiæ faces, quæsitæ inter Servij cunabula, Vestaliumq; aut Scævolæ focos flammæ, nihil hìc umbræ, tenebrarum nihil est, omnia luce maxima, meridiantis Solis instar sua in auge clarescunt. Domus Serenissimæ SAXO-WITIKINDEÆ Majestas ipse fulgor, structura Olympo similis, moles par omni in Orbe eminentiæ, Penates magna Numina, habitatores Soles sunt Regnorum coronati. Amplitudo ultra Volgam, Hellespontum & propontidem distensa, tam latè quàm Orbis ipse Europæus patet; ut jure merito scribi diciq; possit, Serenissimam WITIKINDEAM Familiam in Europam, aut hanc in illam conversam id efficere; ut unam bene quæras in alia & invenias. Cogita hìc Regales Siciliæ, Aragoniæ, Norvegiæ, Galliæ, Hungariæ, Sveciæ Poloniæq; Thronos; meditare excelsas Bohemiæ, Neapoleos Cypri & Britanniæ

tanniæ Majeſtates; recollige Celſiſſimas Brandeburgicam, Hannovericam, Anhaltinam, Haſſicam, Brunſvicenſem, Lavemburgenſem, Megapolitanam, Fordenſem, Halberſtadienſem & Magdeburgenſem Domos; intuere Bavariam, Miſniam, Burgundiam, Brabantiam, Holſatiam, Auſtriam, Lotharingiam, Sabaudiam, Stormariam, Veſtualiam, Franconiam, Ditmariam, Vagriam & quidquid Rhenum Albimq; circumjacet ampli: omnia hæc per Orbem diſperſa Dominia, Regna, Provincias, Thronoſque ſupereminet omnes, Regionibus antiquior, Domibus auguſtior, thronis ſublimior, Majeſtatibus altior una Sereniſſima SAXO-WITIKINDEA Familia, ex qua Cæli Sanctos, Eccleſia Pontifices, Ducatus Principes, Regna Reges, Imperia Cæſares habuêre & habent, ex qua celeberrimæ totâ Germaniâ Domus aliæ fundamenta & originem, fulcra aliæ, aliæ ſplendorem acceperunt, & velut ex ubere ſtillantem ſuxerunt gloriam.

Sufficeret quidem ad ſolennem plauſus hodierni pompam hæc de excellentia SA-

XO-WITIKINDEÆ Stirpis Tuæ REX innuiſſe, ſufficeret tot Regnorum & Orarum collecta nomina in Panegyrim & epithomen laudum Tuarum collegiſſe, niſi majora reſtent quæ memorari petunt, & ipſa in elogia trahat mentem antiquitas. Verum quâm procul a Te meta & centro dicendorum recedo, dum per retroactas ætates peregrinari, & inter annorum millia diem Familiæ Tuæ natalem ultra limites humanæ memoriæ quærere cogor. Quo fonte limpidiſſima Saxoniæ Flumina emerſerunt, vel quæ Gentilitios Enſes Tuos; quorum unus pro Patria, pro Cœlo militat alter, cudêre ſæcula? nihil moror; quia ùt illa eodem prorſus cum Nilo principio gaudent; ita hi pari cum Hercule niſu edomandis portentis intenti, meſſuêre ſine fine triumphos. Pugnârunt ſub HARDERICO Rege pro finium Saxonicorum ſecuritate & propugnârunt: laborârunt pro dilatanda Gentis SAXO-WITIKINDEÆ gloriâ, & dilatârunt: certârunt pro frangendis hoſtium viribus, & fregerunt toties, quoties provocati in aciem venerunt & luctam. His tam

felici-

felicibûs armîs munitus WITIKINDVS loricâ veræ Fidei & ſcutô ardentiſſimi zeli indutus, non expavit cum ipſis bellare dijs; quorum proſcripta multitudine, excisîs ſimulacrîs, extirpatîs idolorum ritibûs, extincto profano cultu, ad eradendos maleſidi populi errores converſus, ſuam proniùs Cælo admovit Saxoniam, eòque eminentiæ evexit, ut fieret veri Numinis habitatio, religionis orthodoxæ nidus, Faſcium Archivum, dignitatum emporium, & ſancta Principum Catholicorum Colonia. Hìc amat reponi, huc reduci petit, quidquid altum mens humana concipit, quidquid Orbis adorat Purpuratum. Trabeas inter, Baltheos, Scipiones, Curules & Faſces, etiam Peda & torques Pontificum reſulgent, luce eò ſereniore; quò ſanctiore. Si alibi pulchro geſtiunt fædere ligari Sceptra Tiaris; hæc Familia Tua REX maxime! ab antiquo conſangvineo nexu copulata ſibi tenens, auguſta ſemper dici meruit ſimul & Sancta. Quid memorem titulos? quid Sacros ex ordine recenſere coner Flamines? duorum Maximorum de Gente SAXO-

F WITI-

WITIKINDEA Pontificum CLEMENTIS II. & GREGORII V. Nomina meminisse, satis est ad styli mei ornamentum, & Tibi REX ad Honorem. Ascendere in altum eminentiæ; quô altius non datur, quis honor? cernere inter Curules & fulgentes Thronos Vaticanam Sedem; quæ gloria? recensere inter Avorum seriem beatissimos in terris CHRISTI Vicarios, quæ Nepotum voluptas? habere invictæ in Proavis animi fortitudini cognatam solvendi ligandique potestatem, quæ posterorum oblectatio? Eam Tibi nemo non gratulatur felicitatem AUGUSTE noster! nemo Tuæ non applaudit Fortunæ; quam Annulô Piscatoris Augustissimæ Familiæ Tuæ pij subarrhârunt Pontifices. A Clementis Natalibus desumpta fecit claritas, quòd Orbis præsentis & futuri ad invidiam splendet, acceditque Deos Cælites eó propiûs, quò altiùs in Electorale S.R. Imperij Collegium per GREGORIVM & OTTONEM III. evecta suam demiratur majestatem. Nempè nunquam potuit non elevata Stirps ista videri; quæ prima sua ab

origine

origine per apices & faſtigia dignitatum gradiens, non habuit quò ſe demitteret; cùm omnes penitus terras faſcibus, Mitris, Sceptris Imperantium impleverit, victricibuſque Heroum laureis omnem cumulaverit Oram. Diſpare favens Fortuna nutu, alijs quidem valles & terrarum infima reliquit, SAXO-WITIKINDEIS Penatibus montes altiſſimos & ſublimia quæque dicavit, in quibus velut in Hemo Martes, aut Delo Apollines ſede fixa WITIKINDI diviſum cum Jove imperium tenuerunt & tenent.

Præſtaret huc ſingulos ex ordine, non tam Tuæ augendæ REX Clementiſſime Majeſtatis gratiâ, quia coronato tangis ſidera vertice; quàm erigendæ umbram Tuam clariſſimam in imo demiſſionis ſuæ ſpeculantis ſvadæ meæ causâ inducere. Aſt quis ego gigas? quis Enceladus ille? ut Calpen cum Abyla, Olympum cum Helicone jungam? aut radicitus evulſum ſuperponam Pelion Oſſæ. Thronus Poloniæ ſedes Tua REGUM fortunatiſſime! montis mihi excelſi vices exhibet, in cujus augem humilis

Scriptoris genius, Tuæ Majestatis Regiæ famulus suffragiô exilis pennæ eluctatus, volupe habet maxima cognataque Tibi omnia, omnia spectare purpurata. Præter triumphales Æmiliorum currus, præter assurgentes vernantium trophæorum sylvas, præter victoriosos magnorum Heroum Arcus, fulget ubique maturata primorum in Orbe titulorum seges; quæ quanta cum ubertate per Regna & Imperia diffunditur, tanto gloriæ reditu in Domum Tuam collecta venit, & famæ cumulos auget. Tyberim hinc, sive illinc Rhodanum spectem, per utrumque natat fortuna Domus Tuæ REX; quam per Flumina Saxoniæ Serenissimi Majores Tui, ad illud universale Orbis Europæi emporium præmiserunt & ipsi traxerunt. Quid ultra? nulla Majestas Tuis non rubet muricibus, nullum Solum Tuis non innititur Sceptris, nulla Purpura Tui se consangvineam, nullus honor affinem non dicit. Ad amænissimum Tuorum Decorum Hortum inscripti nomine Regum se referunt Galliæ Flores, totaque Chloridis Liliatæ majestas ad Aram Nominis Tui

veniens,

veniens, ſplendores cunctaq; ornamenta, quæ à WITIKINDO III. demum HVGONE CAPETO Sereniſſimis æquè ac fortunatiſſimis Regibus accepit, obſequioſa reponit, fontemque coronat. Ita avitus Domus Tuæ decor ex Latinorum Turribus emicare, vernare inter Gallorum Lilia aſvetus, omnem in certamen vocat, nulli tamen cedit eminentiæ, Pedìs pugnat & Faſcibus, galeam induit & Vittam, Regna triumphat & Imperia regnare natus & imperare. Fruſtra humanas inter quæritur dignitates, & terreſtrem titulorum turbam: quem ſidera verſùs Romanæ extulerunt Aquilæ, & cum Auguſtiſſimis HENRICORVM, OTTONVM, LOTHARIORVM nexu individuo cõjunxere Nominibꝰ. Summa hæc Imperij Capita ſicut ad Tuæ AUGUSTE noſter ſpectant Familiæ corpus, ita lecta immenſis laboribus trophæa & ſuperſtitem magnorum facinorum famam ad pompam plauſuum Tuorum congerunt, luciquè hodiernæ meridiem ſuæ gloriæ miſcent. Quidquid ex ſapientiſſimo Romani Imperij moderamine Majeſtatis HENRI-

CUS I. ex laudatissimorum actuum plenitudine encomij OTTO MAGNVS: ex inconcussa vitæ & morum integritate honoris HENRICVS II: ex admirandorum operum magnitudine excellentiæ OTTO III. sua ætate collegere, Tua sunt munera, tuq; tantorum munerum possessor es & sangvinis Hæres. Antiqua quidem sunt quæ refero argumenta, bene tamen sua antiquitate convincunt, omne ævum pro Tui nominis celebritate laborâsse, omnem cum natura insudâsse ætatem, ut nati natorum, & qui nascentur ab illis WITIKINDEVM trudant per sæcula nomen. Id licetsi nunquam non magnum, nunquam non illustre fuerit, majora tamen Patritij luminis augmenta desumpsit ab innubi Augustissimæ Cæsareæ Domus Aurora, clarissima Germaniæ Solis Filia, Serenissima nimirum MARIA JOSEPHA, Consorte Tua fæcunda dignâ Prole Parente, quæ per aureum felicissimi connubij nexum amplissimam Sacri Imperij fortunam, & cum ea collectos ad Viennam LEOPOLDI Avi sui triumphos, JOSEPHI. I. Patris, & felicissimè ad præ-

sens

ſens imperântis Auguſtiſſimi CAROLI VI. Patrui ſui operum magnitudinē traxit, devinxit & æterno quaſi fædere Domui Tuæ obligavit, accedente hinc ingentì WITIKINDEI Honoris pretiô, quôd ſuprema terrarum Numina, coronati Joves partam magnis laboribus famam Tibi communem faciunt, Teq; in communionem ſangvinis admittunt, imò ipſi veniunt.

Extra tot hilaria titulorum Tempe, & altiſſimos Imperialium Thronorum colles, Thulen extremam me reperturum credideram: at ultra hos, Stirpis WITIKINDEÆ: ramos protendi, ultrà Rubiconem Purpurarum defluere, ultrà clariſſimas Aborigenum Tuorum REX ardere Ceras in comperto habetur. Alius ſcilicet extra ſphæram & cardines Imperij luſtrandus remanſit Orbis, non alius tamen; quàm qui Tuo REX Dominio ſubeſt & communi cum Domo Tua nititur ſitu. Quid Clariſſima Miſnenſis Familia? ſi non nova collectorum ſplendorum Colonia? ſi non lucis admirandæ Regio! Congeſſit in eam, quidquid ad decorem Gentis pertinuit eximius THIEMO;

quidquid ad immortalis gloriæ integritatem spectavit, intulit CONRADVS I. gloriosissimus ejusdem protoparens & author. Quòd ampliata propugnaculis & rbibus existat, ab OTTONE Divite: quòd religiosa ac Dijs commendata, ab HENRICO Pio: quòd infracta bellorum motibus à FRIDERICO Forti: quòd legibus stabilita & ad normam probitatis composita, à FRIDERICO Severo: quòd ad imminentia & improvisa quævis pericula intrepida, à FRIDERICO Strenuo accepit, tractisque in suî elogia singulorum cognomẽtis, ipsa quoque strenua, gravis, dives, fortis piaq; dici meruit. Fatiscit Lacænarum gloria, quasi solæ nonnisi Viros pariant, postquam de Stirpe hac magnorum Parentes Heroum velut de Trojano sonipede lectissimi Virorum, tales scilicet, quales publica Regnorum salus, Fideique Orthodoxæ integritas poscit, omni successerunt ævo & præsenti succedere non desinunt. Nunquã congruis celebrabitur laudibus, triumphorum suorum famâ captum laudantium supergressus fidissimus Martis Achates, & ferè

Mars

Mars ipſe totus FRIDERICVS Bellicoſus; dignus quem præ animi Heroici magnitudine SIGISMVNDVS Imperator non in annulo Pyrrhi more, ſed in corde ſculptum & expreſſũ geſtaret, æſtimaretque adeo; ut ei pro ſago Purpuram, Electoralem, pro galea Mitram contulerit. Paribûs donîs præmiari petijt in Bellicoſi Filio itidem FRIDERICO Bono & Placido elucens manſvetudo; in ERNESTO Nepote Prudente & Pacifico, communiter Corona pietatis dicto, clementia: in FRIDERICO ſapiente & JOANNE Conſtante Pronepotibus laudata ſedatiſſimi animi tranquillitas: niſi iſtarum unaquæque virtutum majora meruiſſet, & niſi infra hæc naturæ melioris beneficia poſitum eſſet, quidquid honor inter præmia potius, aut inter xenia fortuna pretioſius habet. Adeo nempè auguſta ſunt WITIKINDORVM Decora, ut in comparationem venire omnem ſæculi pompam pudeat, pariter ac cum ſplendoribus eorum nativis terrenam miſceri lucẽ. Atlantibus WITIKINDIS omnis purpura brevis, omnis Curulis ãguſta, omnis gra-

H dus

dus exiguus, omnis altitudo pusilla, omnis vertex non ad mensuram paritatis. Tu nonnisi REX Augustissime bene magnitudinem eorum adæquas, qui illis & in hoc par es, quòd Orbes terrarum sustentas, & in hoc æqualis, quòd fortissima vincis, & in eo non dissimilis, quòd eandem cum illis mentem, naturam & sangvinem nactus, mole perfectionis sic in sublime ascendis; ut sidera tangas.

Ut tandem ad tenebras exilitatis suæ contráctæ pupillæ intra Pantheon Domus Tuæ præcelsas Avorum & Atavorum Tuorum Imagines intueri liceat, fave Serenitate Tua REX, in quam quò profundiùs itur, eò magìs jubar insolitum spargit, & obvia quæque etiam è longinquo plùs solitò nitentia facit. Tibi tribuet, quidquid ex illis gratiarum, lucis & majestatis leget, quidquid decoris prehendet, Tuam abibit in Panegyrim, à venerandis Majorum vultibus magìs, quàm à quæsitis intra blandi pigmenta sermonis coloribus ornatiorem futuram. Cedant hinc figurata lumina, cedant adscititij verborum flores, una Serenissimi MAU-

RITII

RITIJ Electoris purpura dum in paginam venit, ingentem laudibus Tuis exhibet apparatum. Quid factis illius Heroicis clarius? quid præcelsô animô elevatius? quid fronte radiante majestuosius? uno duntaxat in terris minor Jove, nactus collatos à CAROLO V. Imperatore Electoralis dignitatis Fasces, ita sapiēter & suaviter Olympum suum Saxonicum rexit, ut ab eo simili regimine gubernari Orbis cuperet universus. Est quid mirer in MAVRITIO, est quid in AUGUSTO I. illius Successore adorem: utpote qui in administranda Republica solertissimus, in metendis triumphis felicissimus, in perspiciendis animorum arcanis prudentissimus, optimi Principis in se expressit idæam, Augusto Romanorum non absimilem; cujus laudandorum facinorum non imitator tantùm, sed etiam victor, traxit in se vocale Patris Patriæ nomen, meruitque toto laudarier Orbe. Paribus encomijs utrumque ex CHRISTIANIS grata celebrat Saxonia; quorum pacatissimi regiminis, clementiæ & æquitatis memoriam nulla reticebit ætas, nulla rapiet sub nube

vetustas; mihi ad eorum gloriam innuisse sat est, tales fuisse; quales ad sui directionem ac famæ propagationem amplissima Imperia sæpiùs optant & raró habent; cùm tantos Virorum Flores non omnis quovis ferat tempore tellus, diuque expectandum sit, antequam communi Græciæ bono fortes ex Thetide nascantur Achilles. Verùm nonne vivacissimus Heroum Flos? nonne novus Germaniæ Achilles Serenissimus JOANNES GEORGIVS I. Abavus Tuus REX potentissime! ad omnes adversæ fortunæ minas animosus & dexter, fractique si laberetur Orbis impavidus ruinis. Heroicum Nominis illius vocabulum grande est ingentium operum volumen; quo Coclitum & Scævolarum trophæa, Hectoris robur infractum, Leonidæ magnanimitas, Epaminondæ triumphi, motæ feliciter cum Othomano per Europam pugnæ legi sine periodo possunt. Excubitor magnanimi Bellatoris gladius vigilavit pro alto totiùs Germaniæ conticinio, viscera sua mordentibûs, natîs ad grassandum ferîs Asiaticis; quòd sibi ultra novas hôc Victore positas Gades

præscri-

præſcriptumque illud Herculeum non plus ultra ungve tranſverſo procedere & progredi non liceret, niſi ad interitum & erebi victimas, quas dedit magnô numero toto Martem ſpirans pectore Georgius, feliciùs in umbris Lunæ Odryziæ vincens, quàm alij ſudo & ſereno æthere pugnant. Ad hanc triumphalibus geſtis completam Odyſſeam ſi dulces populorum amores, ſi gentium ſolemnia acroamata; quæ ob Civium ſervatorum ſalutem, ob ſalvatam Patriam, ob conciliatam cum exteris pacem, ob compoſitos bellorum motus Sereniſſimus JOANNES GEORGIUS II. Proavus Tuus meruit addidero; nihil erit ad voluptatem grandius, nihil ad lætitiam proximius, nihil ad oblectationem utilius, nihil majus ad gloriam. Unicum fuiſſe dixiſſem, qui in difficillimis Statuum Europæ negotijs, valentiſſimus ingeniô nodos Gordios reſolveret, niſi Sereniſſimus JOANNES GEORGIUS III. Avus Tuus verus accederet Macedo, toties indomito mentis viriumque robore perplexorum victor, quoties rebus cum adverſis luctator. Poſcebat fulciri nutans

aliquando Germaniæ Orbis, ille fortem ſuppoſuit humerum: requirebat Tripodem bene adminiſtranda Reſpublica, ille proficua dedit oracula, egebat ingruente periculorum tempeſtate protectore clypeo, adſuit ille extremis Fabius ſpes ultima rebus. Suffecit unicus, qui & illæſam Civium ſalutem & intrepidum ad Orientis tonitrua Imperium, & immotum ſuſtineret Orbem. Bellatrice clavâ ſua quot cõfecit triumphos? trementem firmavit Auſtriam, concidentia ſpes in meliores erexit populi vota, Aſiaticas in fugam vertit harpyas, percuſſit ad Viennam Vezyrum adeo, ut hactenus plagam ſuam ſentiat, doleatque ſaliuam glutiẽs; quòd offam amiſit. Ecce vis immenſa barbarorum potentiæ armis & ſpolijs inaudita, quæſitis inter Bactra cis Tygridem & Helleſpontum hoſtibus numeroſa, caſtrorum ſitu ad oculorum formidinem diſtenſa, apparatu belli ſupra fidem munita ceſſit in ſpolium triumphatrici invictiſſimi Epaminondæ Clavæ, totusq; ad Purpuram ſui Sangvinis erubeſcens Othomanus ſerò tandem cognovit, quòd aliud ſit cum He-

ctore

ctore vero congredi, & aliud cum Thrasone. Meditare hìc Barbare cladem tuam, & quam ausu leviore petisti Germaniam metire jacens, orco spiritum, Duci vero triumphanti honorem daturus. Dux erat æstimatione LEOPOLDI Romanorum Imperatoris & JOANNIS III. Poloniarum Regis invictissimi, grandìs Europæorum Principum Gloriæ judicio fortissimus; sub quo non puduit magnanimos Drusos aut Scævas mereri, aciem ingredi victorias, sagum & galeam induere Heroas maximos. Dux toroso pectore, intrepido Spiritu & mente disciplinæ militaris peritissimâ meritò Pæno comparandus Annibali, nisi pluries ille in Viennensibus, quàm hic in Cannensibus campis victore ferro messuisset laureas: ubi obtenta acie, cæsô fugatoque hoste, collectis undique palmis postquam nihil superesset vincendum, liberatam metu continuo Viennam in plausum, Germaniæ vota populique amores rapuit in triumphum. Palmarem hanc reportatæ gloriæ messem, triumphalibus ad Filium tanti Bellatoris Serenissimum JOANNEM GEORGIVM IV.

Patruum Tuum REX optime! Bellona devexit curribus, ut novis victoriosi Principis accumulata manubîjs in perpetuas æstates ad decus WITIKINDEÆ Gentis indesinenti vernaret flore: & vernasset procul dubio Orbîs ad invidiam, ni inimica tantæ Fortunæ fata superinductis feralibus umbris Phæbum Saxoniæ, à quo splendor & maturitas sperata venire debuit, occulerent, & planè extingverent totum: si tamen extingvi potuit? qui etiam nunc suis in operibus clarissimè lucet & nigricantem sepiam serenat Sed nondum vicistis, nondum io triumphale canite lividæ Parcarum Nemeses! en novus in pagina splendet pro Castore Pollux, Germanus GEORGIJ Sangvis Serenissimus & Invictissimus AUGUSTUS II. DEI gratiâ Poloniarum REX fortissimus, Tuus AUGUSTE noster! simul & Patriæ Pater gloriosissimus circumfusus quidem ingenti claritudine gloriæ, facilis tamen videri & spectatorem sui luminis pati, ut pote; qui post tempestuosas temporum nubes ex fonte meridiani splendoris sui veram Lechææ Genti serenitatem

impertijt

impertijt, & insolitæ jubar majestatis effudit cùm inter Sarmatica sidera, inter Stellas Septemtrionis Poloni Polares Titan regnaturus venit. Liceat hunc nobis in Te crystallo Solem, in Te Pyrrho Achillem, hunc in Te coronato Ascanio contemplari Æneam; qui ad superna Regis Regum consortia, ad alteram immortalis gloriæ; quæ illum pro propagata Fide & vindice honoris Divini zelo in Cælis manebat invitatus coronam, speciem sui & decus omne in Tuis lineamentis reliquit, & hæsit totus REX in Rege Filio Pater. Pulchrè quidem in vultu Tuo radiat, sed non minus venustè in ebore Regalium suorum operum nitet, ibi majestate sua admirandus, hìc magnitudine animi, prudentiâ, æquitate, & quæ Principum dos est maxima, singulari in omnes clementia conspicuus, honorabilis & amplus. Ab aureo ævo oriundus Princeps ad ferream usq; ætatem deduxit sæculi sui metallum & fecit, ut in aurum redirent tempora priscum. Laboravit pro Christiani nominis gloria, pro Imperij & Regnorum honore Macedone intensiùs, nihil tamen

 sibi

ſibi ex lectis laboris ſtipendijs reliquit, ſed omnia communes Patriæ immolavit ad uſus. Multi ſunt, quos ſtatim à teneris in diverſa trahit animus; Heroica AUGUSTI indoles cùm in Aula Paterna narrari ſibi audiret ingentia Julij cum Pompejo prælia, Quiritium cum Samnitibus pugnas, acres Polyphemi cum Tonante congreſſus: quæſijt, qua arte Porum Alexander fregit? quo telo Geryonem Alcides vicit? quâ methodo Jugurtham Marius delevit & fudit? quot Theagenes coronas? quot Sicinius Dentatus torques, quot annulos ad Cannas Amilcarides ex triumpho accepit? & reviſis Miltiadum trophæis ambiens poſthumæ gloriæ, cupijt in ipſis verſari diſcriminibus ac ex prælio noſci. Confudit molles Epicuri animos Mavortia proles Auguſtus, cui non delicijs immergi, ſed biſtonijs aduri ignibus, gravari ferro, baltheô cingi, premi galea, duraſq; ducere in ceſpite noctes mens erat & virile intentum. Calcavit ſcenicos ludionum cultus, reprobavit publica Heliogabali ſpectacula, Domitiani ſuperbas reſpuit orcheſtras, Ne-

ronis

ronis & Caligulæ clara ferarum luctis amphitheatra despexit, cui non cum elephantis, rhinocerotibus, crocutis, hippotamis & tigribus, sed cum ferissimis gentibus, & immanissimis naturæ portentis futurum luctamen erat. Pro Olympiacis, Isthmicis aut Circensibus ludis, militares ingressus circos, effusi sudoris oleô perunctus, cucurrit sine quiete, certavit sine tædio, laboravit sine nausea agens; quæ fortissimum Athletam & strenuissimum Heroa decent, in laurea victor, in sago bellator, in Purpura Princeps. Crescebat exuberantibûs gaudijs fortuna Germaniæ sibi à Superis datum intuens Camillum, qui ingentibus factis clarissimus Patriam ab hostibus turbatam oppressamve exoptatæ tranquillitati restitueret. Concessum Leonidam, qui imperterritum pectus pro scuto irruentibus periculis opponens, ferreas Othomani vires, barbarico furore & naturæ pertinaciâ obduratas, & non hominibus tantum, ast etiam Cælo infestas indomito animi robore, & heroici pectoris fortitudine comminueret aut frangeret totas. Dulce fuit illas cedro no-

tandas secum loquentis AUGUSTI auscultari voces: Ego, quem ad agenda fortia & Pater Æneas & Avunculus excitat Hector, quem Dij Penates communibus Patriæ immolarunt commodis, odi privata Domitiani cum muscis prælia, detestor infames Tarquinij cum papavere pugnas, alia mihi Aviti Mucrones præscripsere certamina; è quorum felici eventu Regnorum securitas, & pax altissima pendet. Præstat per ignes & enses salutem Civium quærere, & cunctis pro ea exponi discriminibus; ut non solus Codrus pro suorum integritate Atheniensium inter adversa Doriensium castra pulcherrimam ex vulnere mortem appetere; vitamque qua viverent Athenienses videatur. Dicta hæc factis ipsis probavit, & opere complevit quod elegit, cùm Serenissimi Angliæ Regis castra secutus gravi militiæ nomen adscripsit: ubi per innumera fortitudinis suæ experimenta illum se probavit Heròem; quem brevi Veneta Respublica fortissimum Exercitus sui Imperatorem; quem LEOPOLDUS Cæsareæ suæ militiæ magnanimum Ducem geminatis

vicibus

vicibus contra barbaras Turcarum acies optaret & eligeret. Fortiora esse cervorum castra duce leone si verum est, quid non aggressus pugnacissimus LEOPOLDI miles? eo clavam & clavum belli tenente, qui Europam implevit amplitudine, terras inumbravit laureis, Imperium summo decoravit honore. Effuderat ferociter omnē belli procellam Bizantinus Oriens, accendit infestos in ruinam Pannoniæ ignes, ipseq; tot Regnorum spolijs superbus, avarus tamen Othomanus, collecta ab undique immensa barbarorum colluvie Genadij colles & pergama Temesvarensia adorsus, hostiles rapinisq Orbis assvetas injecit manus, ut totam florentissimi Regni traxisset fortunam, & crudeli tyrannide subjugatas funestaret urbes. Sed invenit suum Busiris iste cruentus Herculem, Procrustes Theseum, Sparthacus Crassum, Marium Jugurtha. Unus omnibus ad cladem & interitum sufficit AUGUSTUS, non inferior Polemarcho Josue; qui in acri, illaque geminata cum rebellibus DEO Gabaonitis pugna, Odryzium suo incursu stitit, imò con-

 fusum

fusum retrò pepulit Planetam, gratulante sibi Pannoniâ; quòd sicut vivente Troilo Ilium, ita hoc superstite AUGUSTO Dolopum manu capi & vinci non possit, præsidiario ejusdem munita Ferro, vallata fortitudine, geminô animata triumphô. Fragrabunt in memoria sæculorum porrectæ ab hoste superato herbæ, vernabunt in animis Pannonum magìs, quàm in vitiferis montibus plantatæ pacis oleæ, indesinentes Satori suo pariturae fructus. Plusne tamen Orientis Bizantini Victor ereptæ de faucibus lethi Pannoniæ fortitudine, an suæ Saxoniæ pietate profuit? in dubium non voco; illam Imperio reddidit, istam Cælo. Augustum, redivivum in terris Prometheum quis non dixerit? crassas Gentis suæ miseratus tenebras, orthodoxæ Fidei lumen post CHIESUNTIS & OFFÆ Catholicorum Saxoniæ Regum, post WITIKINDI & OTTONIS ejusdem Ducum memoriam, ignotum alijs, alijs exosum intulit & accendit; ut qui errarunt, meliùs errorem suum cognoscerent, viderentque inter viarum discrimina, unicam duntaxat esse veræ Fidei,

rectissi-

rectissimam quâ itur ad astra. Hoc in lumine ambulando Gens fortissima salutem quam amiserat reperit, tantò religiosior, quantò à suis præstigijs remotior, id demum evincente per viva pietatis exempla Apostolico Duce, ut in Sanctorum cultum & Summi Romanæ Ecclesiæ Capitis venerationem, libenter & reverenter caderet, nunquam altiùs surrectura. Tantum Principem cùm omnia ad sui boni incrementum desiderarent Regna, cùm universi ambirent Throni, cùm singuli appeterent Fasces; Regalibus Poloniæ in Moderatorem per Superos destinatus, evicit in liberis animis Polonorum, ut eum concordibus votis conclamarent Regem, maximis quibusvis non similem sed parem, & magnitudine animi & excelsi Sangvinis Majestate. Induit cum Regali paludamento populorum amorem, cum Sceptro vigilantiam, cum purpura clementiam, cum acinace justitiam, cum Corona curarum molem. Prima illi in Throno sedenti cogitatio, Fidem protegere, Libertatem tueri, servare Cives, omnibus benefacere. Anteivit hac via Probinos

 probissi-

probiſſimus ipſe, nec ſecundâ fortunâ inflari, nec adversâ à ſemita virtutis dimoveri facilis. Duobus brachijs regnum ſuum complexus, fortitudine & pietate; hac in Aras, illâ in hoſtes valuit, æquè tam Ararum protector, quàm hoſtium profligator & ultor. Atlanti huic nulla occurrit gravitas, quàm non vicerit; nulla ſe objecit Martis inimici potentia; quam non fregerit, contra minas Principum ferreus, contra impetus, adamantinus, contra arma animoſus & audax. Quid memorem prælia? quid acres recenſeam AUGUSTI cum hoſtibus pugnas? qui etiam non evaginatô ferrô ſciſſum in contraria militem ſopivit, Rēpublicam pacificavit, ejuratas finitimorum Principum contra Poloniam ſuperavit minas, Camenecum pretioſam Regni noſtri gemmam, in ſpolium olim Orientis raptam, à Solimano repetiit ac repetitam plauſu cum ingenti Sarmaticæ reſtituit Coronæ. Unica ſupererat ferro expianda, Cyclopum Thorunenſium mota contra Cælum rebellio, tot nimirum digna mortibus, quot per blaſphemiæ ictus Divum honori inflixit vulnera.

nera. Expectabantur vindices Cælorum iræ, & irati cum tonitru Joves; ast adfuit pro Jove Tonans AUGUSTUS, qui vibrato in Phlegræos fratres justi rigoris fulmine execrabile abolevit nefas, documentum Gentibus daturus; inter Septemtrionales nives non deesse zeli Divini flammam, qua magnanima Regum Poloniæ corda succendantur. Hac nemesi Saxonici Herculis quid sanctius? hac indignatione quid melius? hoc zelo quid inter humanas actiones laudabilius? Pijssimorum Regum interest, ut qui in terris Deorum vices gerunt, etiam eorum partes tueantur. Ij licet optimi fuerint, tunc tamen aculeo & felle carere non debent, ubi contra offensores majestatis æternæ agendum venit. Aliàs peccant aurei Principes, si aliquando in ferreos non transeunt, Atheniensium more in Anaxagoram vinculis sævientium, quòd communi cultu solem adorare renueret, ac quem hi potentem Græciæ deum credidere, ille negavit, transfusa in ignitum lapidem deitate. Enses AUGUSTI nostri injuriæ Divorum in Mezentijs vindices ad metenda

ſcelera dati, ultra hæc clementes & molles,
nec eâdem, quâ tyrannici Galbæ materiâ
cuſi, in tutelam & præſidium bonorum vi-
gilârunt, Achillis haſtâ feliciores; quia ſa-
nare nati non vulnerare. Non eſt morta-
lium quiſpiam; qui ſe his ſauciatum memi-
nerit; cùm & malemeriti ſuo Auguſto Cin-
næ nunquam ad cædem extenſos, ſed ſem-
per vagina clementiæ tectos aſpexerint &
multo experimento probaverint. Emenda-
vit optimus REX tyrannicum impij Cali-
gulæ votum; unam eſſe ſubdito populo cer-
vicem volens, non tamen ut uno ictu o-
mnes demeteret, ſed ut uno amplexu
univerſos juncti ſtringeret oſtenderetque ſe
collectis affectibus Patrem, quos ſenſim in
ſingulos liberali diſpendio prodegerat. An-
te dabunt hyemes Nilum, aut interciſa dies
in ortus vertetur refugos, quàm probiſſi-
mus hic Princeps à noſtro poterit diſcede-
re ſenſu, ubi ſui monumentum ære peren-
nius fixit. Dolemus fatis ereptum, ſi ere-
ptum dicere fas eſt? qui poſt ingentes Reip:
curas, poſt impertita beneficia, poſt ero-
gatas gratias, poſt ſtabilitam inter cives pa-
cem,

cem, post edomitas Hæreseos hydras Saxonicus Hercules astris coronandum caput intulit Tê REX Serenissime succolatore sui Atlante relicto; qui pari humero ac fortitudine Sarmaticum sustentares Orbem, tuereris Libertatem, protegeres Fidem, Cives servares, & Patria Jura. Quàm lætus nunc ab æthere cernit! quòd eâdem qua ille nuper majestate emines, eâdem Purpurâ luces, eodem Sceptro Genti Polonæ præsides Augusti Nominis, gloriæ & Regalis Imperij Successor.

Ad præmissam Panegyrici cultus & nativorum Tuorum ornamentorum pompam quid tandem addendum desit, probè intelligis Optime REX! at neque nos latere potest; qui ex increbrescente Domus Tuæ fama didicimus, eam esse Gentis WITIKINDEÆ felicitatem; ut inter suos Aborigenes Divos quoque Cælites numeret & Sanctos colat: Unde totus pro Tuo Nomine militat æther, & Cõsãgvinei veniunt ad classica Divi, Martyrialibus palmis alij, alij flore liliatæ innocentiæ Regale diadema Tuum ornaturi. Divos dum ego memoro, Tu

HENRICUM II. Imperatorem, BRUNONEM & BONIFACIUM; illum Coloniensem, hunc Russiæ Archipræsulem & simul Martyrem, LUDOVICUM Galliæ, STEPHANVM & EMERICVM Hungariæ Reges, GISLAM & ELISABETHAM Hungariæ, HEDVIGIM Poloniæ Reginas: MATHILDIM Imperatricem Magni Ottonis Matrem piô recogita animô, simulque gaude, quòd qui olim Domus Tuæ fuere accolæ, nunc facti sunt ejusdem Patroni & Tutelares. Quodsi hinc mihi præsagire licet, stabit in in ævum Augustissima Tua Familia, nunquam summis non illustris titulis, in quã Cælestibus influunt savoribus & serenissimè radiare faciunt. Utinam vel illis intercedentibus REX maxime quàm felicissimè Polonos moderis Fasces, regasq; Regnum istud ea prosperitate, quæ & Tibi, immortale per sæcula Nomen, & liberæ Genti tranquillos ferat sine nube dies.

Hìc se tandem per altissima tantisper volans culmina, ne Icari fabulam renovet, à siderum Cælestium cultu ad Tui ipsius veneratio-

nerationem REX Clementiſſime, officioſus demittit calamus, non audens in Tuas elevari apotheoſes, cum bene perpenderit, quàm ſit nimium nanus & nimium infans: quòd tamen Regalium operum Tuorum magnalia ſcribere tentet; non ipſius vincens pudorem audacia; ſed verè Tua clementia fecit, quæ illum in Tui commendationem ſvaviſſimis pertraxit illicijs. Merentur in Te ſpeciali plauſu commendari omnia, & ſuo unaquæque virtus penicillo digna, Timantem cum Parraſio vocat, ut in imaginem redacta pretium orbìs vendicet & valorem. Plurimæ ſunt, ſed dividi debent in ſingulas; quia omnibus in unum collectis impar eſt æſtimatio: ſingulæ virtutes, ſingulæ ſunt Cleopatræ gemmæ; quarum ſi una totius Ægypti theſaurum æquat, quot Regnorum requirentur fortunæ? ſi omnes juſta ſua pretia poſcent. Quanti nobis conſtas probiſſime & optime Princeps! bene ex virtutum Tuarum valore intelligimus, majoremne tamen Tu ab illis, an illæ à Te habeant? hic facilè definiet, qui Te aureum Regem Nobis à Superis datum oblatumq;

tumque non ignorat. Jactet ſuos Phrygia Mydas, Lydia Cræſos extollat: Polonia cùm Te Aurelium lætabunda recipit, incrementa fortunæ ſuæ miratur, tam certò allata; quàm non falsò in pretioſo nomine præſignata. Patuit in aurora ætatis, quis futurus eras in meridie, complens nunc ipſo eventu, quod ſibi antehac multorum de Te præſagia autumabant. Primo vitæ Tuæ diluculo illuſtraſti ſæcula, die natali felicibus præluſiſti annis, virilibûs in juventute factis ſpem de Te optimam in omnium animis excitaſti, provectior virtutibus quam annis; mole perfectionis altior quàm corporis, ingeniô major quàm ſtaturâ: Non erat opus Te ad ſpem Imperiorum natum ad optima quæque impellere, ipſe Tuus animus ad omnia promptus incitamentum Tibi fuerat & ſtimulus, ut ea cuperes enixiùs, quæ figuram boni Principis decent, concernuntve; quanquam non procul quærenda erant, cùm in magnanimo vultu Sereniſſimi Parentis Tui haberentur expreſſa, & bene ad Tui informationem eminerent. Illius omnis actio Tua fuit tanta inſtructio;

ut eo

ut eo pietate ardente, Tu quoque paribus flammis incaleſcere; eo Heroica facta operánte, Tu ſimilibus auſis incumbere, eo pro tranquillitate Regnorum & Romani Imperij deſudante Tu pariter tota madeſcere fronte tantares, æmulatione hôc utiliore, quò intenſiore. Hic Tibi Achilli Chiron per ſalutarium monitorum viam ad omnem bonitatis gradum præivit, docuitque exemplis, quomodo pius in Deos, magnanimus in hoſtem, clemens in ſubditos fieri deberes, quave arte probiſſimus eſſes. Prævenisti tamen omne magiſterium feſtinatione virtutis, ſicut & curſum annorum ingenij celeritate ſuperâſti, tempeſtivè edoctus quid ſit ſcire agere fortia? quid clementem, quid pium Principem eſſe? quid juſta dare jura Quiritibus quid motricem Orbîs Intelligentiam dici? in quam ut olim efformareris per eruditos diſponebaris labores, indignum arbitratus Nervam eſſe ſine Minerva, Cæſareum Auguſti præferre, Nomẽ & ex utroq; Cæſarem non eſſe, ideſt nec magnitudine operum, nec literis commendatum. Bibliotheca Tibi fuit Domus Regia, Apollo

prudentiſſimus Genitor, Pallas Sybilla Germaniæ, Sereniſſima CHRISTIANA EBERCHARDINA Marchionis Bereythiani Filia, Saxoniæ Princeps, Mater Tua digniſſima; quorum Te conformando exemplis, eam tandem adijſti perfectionem, ut nihil in ſapientia Tua elatum, nihil in majeſtate ſuperbum, nihil in moribus feroculum, in actionibus devium nihil; ſed omnia in medio conſiſtentia, & ad debitam probitatis formam redacta humanus obſervaret oculus. Quid majus ad bonitatem Naturæ Tuæ defuit? excellis divinam Jovis Cretenſis geneſim; quem tam facilè dotibus Tuis ſuperas, quam ſublimi animo vincis accedente Regalium virtutum Tuarum numero munificētiâ clemētiâ & pietate. Pietas hoſpes in alijs, in Tua Sereniſſima Aula domeſtica virtus tantum ſibi de Tuo reſpectu meruit; ut primam inter curas & actiones admittas, eademque purpurâ tegas. Recepit apud Te quod alibi amiſerat Reginæ nomen, dum Tuis adjuta favoribus virtutes inter cæteras faſces tenet. Eodem Tecum ſolio ſedens cultum Numinis omni-

bus

bus imperat, quem tamen à Te primò accipit; Regis ad exemplum populum flexura. Pro Dijs nil iste pati, nullumque retardat flecti in homagium; ubi Tuam coram Superis demissionem, & humi ante aras serpentem advertit majestatem. Religiosus fervor Tuus fomes est aliorum virtutis & cordium incendium, ita tamen delectabile; ut eô cremari & exuri non sit tortura Perilli sed voluptas. His tam nobilibus flammis omnem Tuum internum vigorem in escam, præcordia in focum cessisti: dumque sic toto in Superos corpore ferves, fumum ore halare cogeris sed illum; qui sparsus per suspiria, ac per æthera diffusus gratiosiùs Dijs Cælitib9 redolet quàm moschus & ambra. Extingvis fumantes Vestalium acerras & thura Sabæi piorum affectuum fragrantiâ, ita honorem cum pietate nectens, ut in Aula Tua prodigij nomen amittat rarum in Orbe pietatis cum honore & honoris cum pietate connubium. Facis, quod optimorum Regum in Principatus dignitatē evectorum officium est, dum una manu Cælos tenes, alterâ Regnorum

 machinas

machinas verſas, tam illos piè, quàm iſtas ſapienter. Teſtis ſit moderaminis Tui Regum & Heroum Parens Saxonia; quam ut fortem in Fide efficias, Herculeo conatu intendis, deſudaſque maximè; ut expurgatis Hæreticæ pravitatis lolijs ibi floreant pietatis ariſtæ, ubi antehac Troja perfidiæ ſtetit. At quemadmodum non una ſtella Cælos, ſic Te non una duntaxat commendat virtus: pietatem; quæ ſingularum prima eſt, ſequitur è propinquo clementia ita Tibi inviſcerata; ut jam ferè in naturam tranſierit. Ab infantia crevit Tecum miſeratio & coæva Tibi benignitas non acquiſitum bonum eſt, ſed cum ſpiritu magnanimo infuſum, non vindicata dos ſed nata. Concutere pedibus terram, tonare lingvâ, fulminare ore, corrugare ſupercilium, caperare frontem non Tuum eſt, & tam procul à Te remotum, quâm procul ab animo ſegregatum. Arment ſe alij virulento baſiliſci aſpectu, aut angvifero Gorgonis capite, ut ſine terrore & nece à ſubditis ſpectari nequeant, Tu diſparem imperandi formam amplexus, omnibus ſerenam faciem &

consimi-

consimilem vultui mentem exhibes, omnibus Te intueri, alloqui & adire permittis accessu facilis, affatu benignus, ad vota pronus. Ideo proscripsisti quem nunquã habere visus es ex præcordijs furorem, eliminasti iras, nihil aloes in corde relinquens & in viscere bilis, quæ favos clementiæ Tuæ & nectar bonitatis corrumperet. Fabulã Plotini Principum animas è sulphure creatas esse facileque accendi asserentis, mendacij damnâsti mitissimus ipse, ac ad ignescendum ex natura nimiùm frigidus & algens. Quàm amabile & beneficum sis Numen? illi nôrunt, qui lenitatem Tuam experti, toti in amorem Tui rapiuntur aut rapi desiderant. Vespasianum Te tracto à Cæsare cognomento dixerim, nisi rectiùs Apianus dici merereris, id commune cum apum regibus habens, quòd ex nativis Ceris mella clementiæ eliquans in cordibus Civium mellificas & ultoribus aculeis cares. Satisfecisti Symbolico Henrici Primi Imperatoris monito: sit piger ad pænas Princeps, ad præmia velox, cùm in Te ad ista quidem aquilam, ad illas testudinem exprimeres,

meres, nihil majori piaculo reputans quam ulcisci. Gladium si stringis, stricto ad tutelam Civium uteris non ad vulnera, gnarus Regum gloriam non bene rigari sangvine, & multò laudabilius eorum palatijs præfigi oleas quàm cupressos. Idem est Tibi qui fuit in Scipione animus, malle se unum Civem servare, quam mille hostes interimere ac pio Theodosij voto optare mortuos etiàm si fas esset saluti publicæ restituere. Non habes REX potentissime, non habes quos ferro vincas, quia jam beneficijs Tuis omnes debellasti & traxisti in obsequium ex more an ex natura habens bonìs malos punire, lapidare panibus, gratijs ulcisci, favoribus mancipare. Quod Regina affectuum clementia Tua imperat, hoc ministra voluntatis Tuæ exequitur dextera: illa thesauros reserat, hæc opes largitur; illa fontes munificentiæ aperit, hæc propinat: eo inter se certamine; ut dubium relinquant, utrum illa in aperiendis fontibus sit profusior? an hæc in propinandis liberalior! Coarctet aliorum manus spasmus cupidinis aut artritis avaritiæ: Tuæ cum sole extensæ fluvios superarunt

perarunt

rárunt Iberos mortalibus dona ferentes, verè tornatiles nec ad munera segnes. Ut nullus mali sensus est in corpore, qui non illicò pertingat ad caput, ita nulla egentium necessitas, quæ Te munificentissimum Principem non lacessat. Unus es, sed ferè oculus totus illeque illimis & longè miseriam hominum prospiciens non magìs, acsi Argus centoculus esses. Ademisti admirationem Adriani elogijs, quòd neminem viderit egentem, quem non munificè ditaverit; quando auratas palmas Tuas opulentissimum humanæ indigentiæ fecisti ærrarium id cum Myda commune habens; quod gratiosô deauras singula tactu, Non contrahis frontem, quam alij caperatam exhibent quoties rogantur: non fugâ ambis latebras ad quas cæteri voce rogantis velut fulmine percussi refugiunt, sed blandè petentibus annuis, priùs plerumque benefaciens quàm petaris. Quis est Bellisarius? qui à Te obulum petens talentum non retulit? quis ad sitim suæ inopiæ damnatus Tantalus? qui guttam de munificentiæ Tuæ fonte postulans, totum gratiarum mare non pertraxit.

 traxit.

traxit. Congelatas ſortitus eſſe à natura manus crederis; nam quidquid ijs tenaciùs tenendum fortuna intrudit, illicò elabitur totum, ſubditorum dividendum in uſus. Auratos naſcente Minerva imbres Jovem Rhodijs indulſiſſe referunt, quod ſæculi illius hiſtoria ſit an fabula? non quærimus, cùm veriùs omnem Tua munera vincunt fontem Hermi, pluviaſq; Tonantis. Si immenſa quæ grandi ſub pondere liberalius erogaſti fortunæ munera ignibus conflari & eliquari fas eſſet; poſſent præter pretioſa Pactoli ſtagna novi argenti lacus & aurea flumina fundi. Hinc Tibi compar aut major Imperiô fortuna alios fortunatos reddere, & ſolennis triumphus omnes beneficijs vincere ac à nemine vinci, Viciſti Tite noſter viciſti ita omnium gratias; ut Charites Tuæ ſceptra teneant, & nullus ſit quantumvis maximus aliorum favor, qui juxta illas poſitus non appareat minorennis. Felices ſe ſinguli, ſingulis jactent chariſmatibus: Poloniam hinc feliciſſimam dixerim, quòd in Te hæc omnia poſſidet, non quæſitura antiqui ſæculi Gratianos, dùm Te, novum domi

habeat,

habeat, à quo illi innumera venere & indesinenter veniunt bona. Recuperavit in Te Regum AUGUSTORUM Tertio. amabile Patris Patriæ nomen & generis Poloni delicias, quas olim in Primo & nuper in Secundo, ſummo cum dolore amiſit. Faxint Superi ut in longas annorum myriades his nobis delicijs frui liceat! quas potiore ex parte majeſtate Tua cumulas & auges altiſſima Stirpis Auſtriacæ Propago LEOPOLDI & MARGARETHÆ MARIÆ Imperatorum Neptis, JOSEPHI I. & WILHELMINÆ AMALIÆ Regum Ramanorum Filia, Auguſtiſſimi CAROLI VI. Imperatoris ex Fratre Neptis Sereniſſima MARIA JOSEPHA! grandis Regalium Coronarum Gemma, digna Rege AUGUSTO Conſors tantum fæmineis præſtans cætibus, quantum ſupereminet ille Maritos. Gratulamur Te nobis MARIAM, per cujus manus deſiderata bona Cælum Auſtriaca pietate convictum Regno ſe daturum ſpopondit, & jam dedit, cùm Te Genti Liberæ in Matrem & Reginam providit. Tu Reginarum Polo-

niæ quinquagesima novum Lechiæ felicitatis publicæ attulisti Jubilæum, ut per Te sperare possit temporum indulgentiam & incrementa gratiarum. Conscendisti Numine propitio Solium hoc; in quo quot antehac adoravimꝰ Austriacas Regnatrices, Polonorum Regum Consortes & Matres ANNAS, ELIZABETHAS, CONSTANTIAS CÆCILIAS, ELEONORAS, tot numeravimus Regni nostri beatitudines; quarum Tu octava non tamen postrema es, eò prioribûs felicior, quod superstes. Non sic ornat lucifer Cœlum, annulum unio, lilium flores, quàm Tu Princeps Serenissima Gentem nostram decoras, altissima Genesi ac præcellentissimis qualitatibus coruscans velut inter ignes luna minores. Incassum superbit puniceis aurora genis, Tu sidere pulchrior omni naturæ vincis gratias, & ita solâ pudici oris purpurâ superas; ut nihil in Sulpitijs, Cornelijs, Clelijs, Valerijs totoque Romuleo Heroinarum Senatu par, aut simile videas & invenias. Liberaliores in Te præsentis sæculi Pandoram extitere Superi, qui quidquid habuere do-

norum,

norum, omnia in Te velut in compendium profuderunt; ut fieres inter mundi Pulcherias Princeps morum elegantiâ & decore virtutum. Nitet in animo ſinceritas, in pectore pietas, in mente prudentia, in ore veritas, in facie verecundia, in oculis candor unâ Te tenente, quæ Dearum ſingulas beavere. Dotes iſtæ & benefica Superûm munera, Reginalis Tui Paludamenti flores ſunt aurei; qui in immenſa pretia vernantes inæſtimabile Tibi peperere decus. Quid nivea illibati candoris Tui lilia? quid fragrantes pietatis roſas? quid dulcem cæterarum virtutum florentiā recenſeam? roſis coronaſti Cælos, adoluiſti ſacraria, placâſti Superos: lilijs confudiſti cordium fucos, emendaſti animos, decoraſti mentes vivum Ipſa tenerrimi candoris exemplar & idea. Tua ſe nunc calamo ſcribenda ingerit clementia, bonitas, & miſerorum protectio; quibus Te in aſyllum quoddam ac in Domum refugij boni providêre Superi. Et quis eſt quem à Tuis rejeciſti pedibus? quis? quem ambitioſo repudiâſti faſtu? quem elato deſpexiſti oculo? quis quem Tua non

Q pro-

protexisti Purpurâ. Meministi Nativarum Tuarum Cerarum esse dulces ex se clementiæ eliquare favos, & ex Floribus Austriacis uberiùs stillare bonitatis succos, quibus arida mortaliũ reviviscant vota. Oculatos Regum Ægyptiorum Fasces fingat sibi antiquitas, Tu verior Sceptri Sarmatici ocellus, ad commoda populi vigil, ad voces rogantium non torvus, ad miserendum non deses aut piger. Sunt in Thronis pleræque Eudoxijs Imperatricib9 similes, quibus au gent. Purpuræ fastum, coronæ superbiam, Sceptra furorem, & dum vires potentiæ suæ exercere intendunt ad fulmina manus erigunt; ut miserum vulgus feriant. A Te verò procul hæ novercales iræ, procul arrogãtia, & mentis superbæ elatio: non Te Regnorum Paludamenta inflant, non Coronæ elatam faciunt, non Serenissima Austriaci Generis Origo supra homines effert: omnibus Te humanam, affabilẽ & benignam demonstras, sub Reginali peplo viscera fovens misericordiæ, & Maternos populi amores. Convenis per id cum Tuo Africano magna Æmilia! cum Stilicone Serena, cum AU-

GU-

GUSTOMARIA! quod utrique molle cor facilisque flecti ad veniam animus, utriq; latet sub Purpura salus. Ergo agite Reges Fortunatissimi! diu Patriam nostram maximis Vestris decorate virtutibus, immortalibus cumulate factis, ac pro Vestra in Poloni Nominis æstimationem propensione, clarissimis illustrate splendoribus. Quis ambigat à luce Vestra sereniorem? à magnitudine operum ampliorem, ab ingenti Nominum Vestrorum gloria celebriorem futuram? stabit fortiùs Vestris innixa humeris; florebit pulchriùs sollicitè Paternis agitata curis, inclarescet splendidiùs Augustissimis serenata Ceris. Si illa est aureum monile, Vos estis pretiosi lapides: si illa est stelliger Polus, Vos Regnorum Soles, tam monili fortunæ pretium, quàm Polo meridiem felicitatis invecturi. O par beatum! o felix Regalium decorum & luminarium conjunctio! non est, quæ Vobis præsidentibûs infortunij tenebras inferre Orbi nostro præsumat nubes: ubi Vestro beneficio factum, quòd sub Vobis auspicium ævi melioris ordimur, quod noctibûs pulsîs dies sine

nube transfigimus, quod metimur sæcula luce. Et jam grandi laudum Vestrarum succumbere coactus argumento sepiam claudo, & licèt elogia Vestra tenuibus modulis scribere desierim, non tamen precari desino, ut Vos Fortunatissimos Poloniarum Reges per longissimas annorum myriades in decus Throni Sarmatici Cælestia Numina conservent incolumes: Coronas Regales gemmis gratiarum suarũ distingvant, benedicãtq; Fascibus Vestris: ut felicissimo florentes regimine in mille Vobis germinẽt triũphos.